gebat, et si Filius in superna Divini Parentis aula resi-
debat, et in te esse debebat, quæ ibi Cœlum faciebas ubi
habitare dignabaris. quid ergo te nobis auferebat? morbi
tabes ad divini corporis membra depascere non poterat,
senectutis declivis ætas vitam ad occasum non urgebat quia
desinere nequibat quod æternum fuerat, quis enim est qui
ignoret de te divina vatis oracula illud cecinisse ab
initio et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum
sæculum non desinam? mortis iura, quæ à nullo unquam
violata fuere in te vim omnem amiserunt per te enim
surrexit vita quæ omnibus vitam largiebatur, neque enim
illud mori fuit cum divini amoris immensa incendiis
(ut B. Damiani audire memoratur) magis abire quam obire
incipiebas. si igitur neque scelera humana te depulerunt
nec terræ angustia Cœlos quærere persuasit, non adegit
mortis necessitas quæ in te non erat cur filios mater et
filios inter communis hostis insidias derelinquebas? miseros
imbelles, orphanos cur deserebas? non deserebas, sed Cœlites
sustinere diutius non poterant sibi præferri humanum
genus cui Angelorum regina relinquebatur, et si præferri